Quelle: https://manuscripta.at/?ID=383
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

iurauerit deus. Iuraui inquit dauid seruo meo. usque in eternum preparabo semen tuum. Semen dauid quid est nisi semen abrahe? Quod autem semen abrahe? Et semini tuo inquit quod est christus. Sed forte ille christus caput ecclesie saluator corporis semen est abrahe et ideo dauid. Nos autem non sumus semen abrahe? Immo uero sumus. sicut ait apostolus. Si autem uos christi, ergo abrahe semen estis. secundum promissionem heredes. Sic ergo hic accipiamus fratres. usque in eternum preparabo semen tuum. non tantum illam carnem christi natam ex uirgine maria. sed etiam nos omnes credentes in christo. Illius enim capitis membra sumus. non potest hoc corpus decollari. Si in eternum caput in eternum gloriantur et membra. ut sit ille christus integer in eternum. Usque in eternum preparabo semen tuum. Et edificabo in generatione et generationem sedem tuam. Putamus hoc dixit in eternum quod in generatione et generationem. quoniam ut supra dixerat in generatione et generationem annuntiabo ueritatem tuam in ore meo. Quid est in generatione et generationem? In omnem generationem. Non enim toties repetendum erat uerbum. quoties generatio uenit et transit. Ergo multiplicatio generationum in repetitione significata et commendata est. An forte due generationes intelligende sunt sicut nostis. sic iam insinuatum uestre caritati recentius. Est enim generatio nunc carnis et sanguinis. erit generatio futura in resurrectione mortuorum. Predicatur hic christus predicabitur ibi. Sed hic predicatur ut credatur: ibi predicabitur ut uideatur. Edificabo in generatione et generationem sedem tuam. Nunc autem christus in nobis fecit sedem. edificata est sedes eius in nobis. Nisi enim sederet in nobis. non nos regeret. Si ab illo autem non regeremur. a nobis ipsis precipitaremur. Sedet ergo in nobis. regnans in nobis. Sed est et in alia regeneratione que fuerit ex resurrectione mortuorum. in eternum christus regnabit in sanctis suis. Hoc promisit deus. hoc dixit deus. Si parum est. hoc iurauit deus. Quia ergo non secundum merita nostra. sed secundum illius misericordiam firmata est promissio. nemo debet cum trepidatione predicare unde non potest dubitare. Fiat ergo in cordibus nostris

robur illud. unde ethan nomen accepit. robustus corde. Predicemus ueritatem dei. eloquium dei. promissa dei. iurationem dei. et his modis omni ex parte firmati predicemus. et portando deum celi simus. Confitebuntur celi mirabilia tua domine. Non merita sua confitebuntur celi. sed confitebuntur celi mirabilia tua domine. In omni enim misericordia perditorum. in iustificatione impiorum. quid laudamus nisi mirabilia dei? Laudas quia resurrexerunt mortui. plus lauda quia redempti sunt perditi. Que gratia. que misericordia dei. Uides hominem heri uoraginem ebriositatis. hodie ornamentum sobrietatis. Uides hominem heri cenum luxurie. hodie decus temperantie. Uides hominem heri blasphematorem dei. hodie laudatorem dei. Uides hominem heri seruum creature. hodie cultorem creatoris. Ab istis omnibus desperationibus ita homines conuertuntur. Non respiciant merita sua. fiant celi. Confiteantur celi mirabilia eius a quo facti sunt celi. Quoniam uidebo inquit celos. opera digitorum tuorum. Confitebuntur celi mirabilia tua domine. Et ut noueris quia celi confitebuntur. uidete ubi confiteantur. Et ueritatem tuam in ecclesia sanctorum. De celis ergo nulla dubitatio est. quod intelligantur predicatores uerbi ueritatis. Et ubi confitebuntur celi mirabilia tua. et ueritatem tuam? In ecclesia sanctorum. Excipiat ecclesia rorem celorum. sitiens terra. pluant celi et germinet excipiens pluuiam. germina bona. opera bona. nec pro bona pluuia det spinas. et pro horreo exspectet ignem. Confitebuntur celi mirabilia tua domine. et ueritatem tuam in ecclesia sanctorum. Celi ergo confitebuntur mirabilia tua domine et ueritatem tuam. Totum quicquid predicant celi ex te est et de te est. et ideo securi predicant. Horum enim que predicant quia non possunt de predicato erubescere. Quid predicant celi? Quod confitebuntur in ecclesia sanctorum? Quoniam quis in nubibus equabitur domino. Hoccine celi confitebuntur. hoc celi pluent? Quid? Quoniam quis in nubibus equabitur domino. Inde securi predicatores. quoniam nemo in equabitur domino. Magna laus uobis uidetur fratres karissimi. non equari nubes creatori. Si intelligatur sine mysterio ad litteram. non